

Alte Drucke

**COMMENTARIVS || IN EPISTO-||LAM DIVI PAVLI || APOSTOLI
AD || Ephesios,|| Scriptus ab || EGIDIO HVNNIO, S.
THEO-||logię Doctore & Professore in ...**

Hunnius, Aegidius

Frankfurt/Main, 1587/(1588)

VD16 ZV 27865

CAPVT VI. ARGVMENTVM.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148399

ausus fuit Antichristus in suo iure minimè Canonica sententiam Pauli detorquere: qui in carne sunt, Deo placere non possunt: hoc est, qui in coniugio sunt, Deo placere non possunt. Quomodo ergò coniugium Sacramentum sit, si Deo probari nequeat? Sed digni sunt Papista, qui talibus pascantur nugis, cum incorruptum panem coelestem Euangelij fastidiant & respuant.

Vndecimus. Quando iuxta praescriptam à Paulo regulam, quisq; uxorem suā diligit, ut seipsum, vxor autem veneratur virum suum: verè hoc beatū coniugium est, etiam spiritus sancti laudibus concelebratū, qui hoc refert inter tria illa eximè pulchra, quae Deo & hominibus probentur, videlicet si vir & mulier in matrimonio concordēs sint. Quae concordia alleuat omnes coniugij arumnas, curas & sollicitudines, portatq; faciliores efficit: amputat Diabolo ansam turbādi Oeconomiam, conciliat viro & mulieri auctoritatem apud liberos & domesticos, & nullam nō partem vitae humanae beatissimam tranquillioresq; reddit.

CAPVT VI.

ARGVMENTVM.

Generalem sententiā, qua monuerat, ut subditivicissim essent Ephesij, alius alij cum timore, Dīvus Paulus in speciales exhortationes ad diuersorum statuum homines institutas distribuere pergit. Esicut modò vxores & maritos

maritos vtrinq; officij sui admonuit: ita nunc filios & parentes: seruos & dominos itidem sui vtrinque muneris admonet. Quo expedito, Christianos omnes ad spiritualem militiam armat, & quibus armis Diabolorum assaultibus sit resistendum, tanquam exercitatus miles eleganti pictura Christiani militis ostendit, simul Ephesiorum ad Deum vota precesq; requirens, & epistolam consueta salutatione finiens.

Partes capitis sunt tres. Prima continet speciales commendationes ad liberos & parentes, seruos & Dominos institutas. Secunda ad luctam aduersus Diabolum instruit. Tertia parte petit se precibus Ephesiorum commendari Deo, quos vicissim precibus suis Deo commendat.

PRIMA PARS.

Filios siue liberos ex quarto precepto Decalogi inui-
pat ad obedientiam parentibus prestandam. Propositio
est: Filij obedite parentibus vestris. Obedientia
quoq; modum designat: In Domino, id est, in vero
Domini timore. Mox rationes promittit: Nam id est ius-
tum. Iustum autem dicit, quod post Deū liberi vitam
suam à parentibus habeant, & ab his multa cum soli-
citudine & infinitis curis sint educati. Et hæc quidem
ratio à lege Naturæ sumpta est, cuius dictamine etiam
gentes iustissimam esse putarant, vt parentibus à libe-

ff

vlt

vis obsequium debitum persolveretur. Nunc autem ex lege Decalogi argumentum petit: Honora patrem tuum & matrem tuam, quasi dicat: Sicut ipsa rei aequitas adeoq; Natura dictamē liberos obedientia parentum subiecit: Sic idem sancit inuariabile Dei praeceptum. Sed & à promissione suasionis argumentum ducit, ostenso filialis obedientiae fructu, dum affirmat: praeceptum hoc: Honora patrem & matrem, esse primum in promissione. Nam promissio qua addita est praecepto primo, nō est primo illi praecepto peculiaris, sed generalis est, diffundens se in totum Decalogum. Secundum verò praeceptum comminationem habet annexam aduersum transgressores, nullam verò adiunctam explicite promissionem, vt nec tertium. Ergo quartum hoc praeceptum est in promissione omnium primum, speciali promissione ad sui obseruationem liberos alliciens. Quae est illa promissio? Vt bene sit tibi & sis longxius super terram. Duo membra continet. Prius omnem felicitatem promittit in genere: posterius longauitatem in specie, non tamen sine exceptione, vt in locis communibus audiemus.

Patres ne prouocetis ad irā liberos vestros] Patribus praescribit, quod vicissim sit illorum munus. Et primo quidem, quid in liberorum, educatione vitandū sit, nimia scilicet austeritas & ἀσπλῆξ, seuitia & durities, qua nonnulli carnifices verius se exhibēt quā patres. Hanc seuitiā docet ab officio parentū esse alienā, vt potē qua haud raro liberi sic percutiuntur, vt non

vt non modo ingenium in eis obtundatur, cuius beneficio potuissent ad insignem fugem peruenire, verum etiam exasperati parentū immanitate ipsi quoque contra illos insurgant, vel ex quadam animi desperatione ea faciant, quæ seram apud parentes pœnitentiam commitem secum trahant. Sed educetis eos per eruditionem, &c.] Veram educationis liberorum formam & modum præscribit: quæ fiat & καὶ δέξαι καὶ ὁδοῦ, hoc est, in eruditione seu institutione sanctæ, & in admonitione Domini, vt in pietate & timore Dei educantur.

Serui obedite his qui, &c.] A parentibus & liberis ad Dominos & seruos transit. Et seruorum officium obedientia voce complectitur, quam præstent Dominis, in quorum sunt potestate. Obedientia modum denotat, quando in timore & tremore vult illos suis obedire Dominis, vt qui sollicita cura heros suos reuerantur, & illorum indignationem non contemnant, sed metuant. Fuit enim tum temporis seruorum conditio longè durior, in quos Domini propè plenum habebant dominium.

In simplicitate cordis, &c.] Pertinet & hoc ad descriptionem modi, quo formata esse debeat obedientia seruorum, non vt dissideat obsequium externum à cordis affectu, sed vt ex sincero affectu, totoque pectore sua Dominis obsequia debita exoluant.

Tanquam Christo, &c.] Sicut haud grauare obeditis Christo: ita cogitate, Christum obedientiam

Ff 5

vestram

vestram Dominis praeſtitam non reputare aliter, ac ſi ſibi eſſet ea praeſtitam. Itaq; hoc cum ad modum pertinet, tum ſimul tanquam argumentum quoddam ad propoſitionem inſtituti confirmandam ſpectat.

Non ad oculum ſervientes, &c.] Accuratè per circumſtantias annotat, quomodo ſervi ſuum facere debeant officiũ: non ad oculum hominum, velut horum captantes gratiam, quando ſpectatores operarum ſerviliũ adſunt, ſed tanquam ſervi Chriſti, quem ſcitis omniſcium eſſe, ut οφθαλμοδουλικῶς decipi non poſſit, quin in corda veſtra introſpiciens exactè ventilet obedientiam veſtram, num ex animo proſciſcatur, vel ſecus. Ergo facite, quæ vult Deus (vult autem ut obſequamini Domino in cunctis, quæ pietatem non ledunt) idq; ex animo, cum benevolentia, id eſt, prompto ſtudio, haud gravatè, & ſine odioſa difficultate vel tedio. Sciẽtes vos ſervire Domino, non hominibus: memores etiam, mercedem veſtram vobis apud Deum largiſſimum remuneratorem eſſe repositam. Nullum enim apud Dominum habet locũ ἀργιστοληψία, quin quiſque, quod fecerit boni, ſit reportaturus, ſive ſervus fuerit ſive liber.

Et vos Domini eadem facite erga illos, &c.] Sicut inſtruxit ſervos, quid in ſervili ſuo ſtatu ratione ſervitutis debeant ſuis Dominis: ita nunc viciffim Dominos de ſuo officio breviter quidem, ſed nervosè commonefacit.

non facit. Eadem facite, &c.] Hoc est, pari cura incumbite, ut vestri officij partes vobis cura esse patiamini.

Remittentes minas] Ne sauis & atrocibus comminationibus, vel etiam cruentis plagis tractetis illos iniuste, aut tyrannidem in eos exerceatis, freti seu abusi vestro, quod in illos habetis, imperio.

Scientes quod & vester ipsorum Dominus est in coelis, &c.] Cogitate, vos subesse etiam cuidam Domino, ei scilicet, qui est Dominus dominantium. Apud quem cum nullus sit personarum respectus, iustus iudicabit inter vos & seruos vestros, si iniusta vi in eos saueritis. Neque subleuabit vos apud illum dominium vestrum, nec seruis sua apud eum officiet paupertas aut conditionis vilitas.

LOCI COMMVNES

Primus. De obedientia liberorum erga parentes. Ad quam promptis animis prestandam incitet eos ipsa Natura, qua iustissimum esse monet, ut parentibus in compensationem laborum & molestiarum partus & educationis, mos geratur: incitet Dei praeceptum & praecepto annexa suauissima promissio de vita longevitate. Sapè hac repetit scriptura, praeipue Prouerb. 1. & 23. Syr. 3. & 7. Tobie 4. Exempla obedientiae sunt Isaac, Genes. 22. Rechabita, Ierem. 35. De poena contumacium liberorum vide Dent. 21. Prouerb. 20. & 30.

Secun-

Secundus. De termino vite, cuius nos admonet quarto precepto Decalogi annexa promissio: vt sis longeuus super terram. Palam ergo docet Spiritus sanctus, humana vite terminum non esse nudo & simplici decreto homini constitutum aut sic fatalem, vt hac ipsa hora & non alia, hoc ipso genere mortis & nō alio mori aliquem simpliciter sit necesse: Sed in disponenda morte hominis Deum iuxta legis sue promissiones & comminationes respicere vel ad pietatem hominis, eamq; remunerari longeuitate, Prou. 3. 4. & 9. Syr. 3. vel ad impietatem, & sic decurtare homini dies vite, Iob 21. Psal. 55. Ac nihilominus quocunq; modo (iuxta Dei vel promissionem, vel comminationem, vel singulas exceptiones exceptionumq; causas Deo notas) cadat hominis mors: esse tempus & genus mortis Deo insalubiliter notum, etsi non absoluto decreto sic constitutum, sed cum conditione. Cuiusmodi multa extant, Esa. 1. Ier. 18. & in singulis penē Deuteronomij capitibus: Si obtemperauerint Domino, tutos illos fore ab horrendis cladibus, que alias immitti soleant. Sin obedire Deo recusauerint, velle se illos perdere, gladio, peste, &c. Atq; hunc illis fore terminum. Ita si Absolon fuisset obediens Patri, longeuitatem iuxta promissum Dei fuisset consecutus. Dum autem contumax est, & Patrem in exilium eiecit, constitutus iam hic illi esto terminus, vt ē quercu pendens transuerberetur lanceis: quem terminum transgredi non poterit Absolon, quia causam tristissimi huius exitus, impietatem, nō mutat.

Siverò

Si verd obediens Deo & parentibus fuisset, nequaquam fuisset necesse, vt hoc tempore, & hoc tristi genere mortis perisset. Quin potius multiplicasset illi Dominus dies, & alium placidiorem terminum constituisset ei. Neq; fuisset Dominus in sua prouidentia deceptus. Si enim futurus fuisset Patri Dauidi obediens, tum hoc ipsum vidisset Deus, obsequentem illum fore, ideoq; terminum ei constituisset alium: quem ipsum quoq; sic à Domino constitutum liberè, transgredi Absolon non potuisset.

Tertius. De officio parentum. Potest à parentibus vtrinq; peccari, tum nimia lenitate, tum nimia asperitate & sauitia. Lenitatem vetat & improbat scriptura, Syr. 30. & celebre est exemplum Eli, qui nimia in filios suos, sceleratos nebulones, indulgentia peccans, dignitate summi sacerdotij ynà cum tota familia excidit. Sed & asperitatem nimiam improbat Spiritus sanctus, vt hic Ephes. 6. Item Prouerb. 19. Exemplū est Saul, 1. Samuel. 14. & 20. Mediam & regiam institutionis viam prescribit Paulus, vt debita quidem seueritate intra limites officij coërceantur liberi: qua tamen à crudelitate absit. Qua de re vide Prouerba 13. 23. 29. Syr. 30.

Quartus. De seruis. Placere Deo etiam humilem illorum statum & conditionem, nec deteriora esse loco apud Dominum ob vilitatem suam. Non enim est hominum more *ὡς ὁ πῶλον*, se respicis humilia in cælo & in terra, Psal. 113. Et in Christo
Ioseph

Iesu non est seruus nec liber, Galat. 3. Suntq; serui non minus à Deo conditi, Iob. 31. nec minus etiam à filio Dei redempti. Quamobrem Paulus in solatium illorum scribit, obsequia ipsorum præstari & probari Deo, & hunc fore laborum & operarum, quas faciunt, re-compensatorem.

Quintus. Officium porro seruorum est, vt laborent gnauius, & seruiant fideliter. Et obseruent famuli atq; famula manus & nutum Dominorum & dominarum, Psal. 123. Pareant Dominis suis, in omnibus illis placeant, non sint responsatores, non suffragantes, sed fidem omnem ostendentes bonam, vt doctrinam seruatoris nostri Dei ornent in omnibus, Tit. 2. Quod vt ed faciant alacriores: meminerint se Domino IESV CHRISTO seruire. Cui haud dubie, si adhuc in terris obambulet, vt in diebus carnis sue fecit, quàm promptissimis obsequijs inseruirent. Cum verò Apostolus seruitia famulorum interpretetur tanquam ipsi Christo Iesu præstata: certè libentissimè illa obeant, & fidelitatem omnem præstent, vt Iacob fecit Labano seruiens: vt Ioseph hero suo Putipharo: vt de seruis suis prædicat Centurio Euangelicus, Matth. 8.

Quintus. De officio Dominorum, quos decet tractare, ne sint sicut nimium aut tyranni in famulis & famulas. Meminerint, se quoq; habere Dominum in cælis. Quod Iob accuratissime expendens, toto pectore cauit sibi, ne vel minimam ancillulam aut seruum iniuste offenderet, Iob. 31. Qui autem Domini

Domini freti sua potentia modis indignis tractant ser-
uos aut ancillas: hi sciant, se habituros crudelitatis se-
uerissimum iudicem Deum, qui nullius potestatem re- Sap. 6.
formidat, nec personam hominis acceptat, sed iusti-
tiam aqua lance dispensat & administrat, dans cuiq;
secundum opera ipsius.

SECUNDA PARS.

Hactenus de fide, charitate, & honestate vita multa
differuit. Speciales quoq; *ἑκείνων* subiunxit de
diuersorum ordinum in Christianismo officijs. Nunc
militem Christianum tota *παρατάξις* Spiritus in-
signem producit: hoc est, describit, quibus armis Dia-
bolo in spiritali lucta sit resistendum, & hortatur E-
phesios ad animi robur ac fortitudinem in hoc certami-
ne subeundo ac sustinendo.

Quod superest, fratres mei, fitis fortes per
Dominum] Ostendit, eos, qui Christo nomen dede-
rint, constitutos esse in militia, non ea duntaxat, in qua
Iobus quemlibet hominem (sive pius sit sive impius) iam
inde à natiuitate sua versari perhibet, vbi conflictatur
cum huius mundi miserijs & communibus erumnis:
Sed in lucta Christianis propria, aduersus tētationes &
assultus Satana. Et quidē dū fortes esse iubet: subindi-
cat, nō esse in hac vita debellatū: sed grāe superesse no-
bis pugnā aduersus hostes acres & potentes: qui supe-
rari non possint humanis viribus. Ideoq; fortes esse iu-
bet

bet per Dominum, & per potentiam roboris illius. atq; sic animum instruit, quo procedendum sit in hoc certamen. Vt cumq; enim aliàs comparata sint arma, si animus desit, ineptus est homo ad dimicandum. Nunc induit Christianum quemlibet suis ad hanc pugnam idoneis armis, ijs verò non carnalibus, quorum usus est in certaminibus aut bellis huius seculi, sed *πνευματικὰ* Dei: integra illa armatura, quam Deus in verbo subministrat. Huius armatura necessitatem exponit, dum hostem exprimit, qui cum negotium nobis est: vt possitis stare, inquit, aduersus affultus Diaboli. Potentiam autem hostium amplificat, non vt terreat, aut spem obtinendæ victoriæ minuat: sed vt robore hostium diligentius apud animum perpenso, maiore cura & sollicitudine ad hoc certamen se præparent p̃j. Idco subiicit: Quoniam non est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem, seu aduersus homines, quorum vires & copiae humano robore frangi debilitariq; possent: Sed aduersus principatus, &c.] hoc est, aduersus demones, potentissimos in illo regno tenebrarum principes, suis quibusdam ordinibus distinctos. Quin aduersus mundi dominos, qui in mundum hunc, seu impiorum hominum colluuiem, suam habent Dei permisso dominiũ. Ideoq; rectores tenebrarum seculi huius nominantur, quod efficaciter mentes impiorum obtenebrent & excecarent. Necnon spirituales astutiæ, ob exquisitissimam calliditatem, qua valentes demones mille dolis, fraudibus;

fraudibus, & tendiculis hominum saluti insidias struunt. Et cum oculis non sint obuij, sed inuisibili quadam ratione suam nequitiam perficere soleant, atq; in super in cœlestibus, seu sub cœlo, tanquam insaustissima volucres magnis agminibus & exercitibus nobis immincant, atq; è sublimi exitium minentur: eo maius periculum nobis impendet. Ideoq; non torpendum ocio, nō quasi debellatum sit: in vtramvis aurem dormiendum monet. Repetit ergo quod dixerat: vt assumant totam armaturam Dei, vt possint in die tñalo, seu tentationum tempore, impressionem illam infestissimi exercitus sustinere, omnibusq; laudabiliter perfectis, & in fugam coniectis hostibus, stare. State igitur velut in procinctu lumbis circumcinctis balteo veritatis] Persenerat in sua metaphora, & qua de lumbis circumcingendis veritate memorat, ex usu quotidiano petita sunt. Balteo enim seu militari cingulo veritatem ideo cōparat Paulus, quia quem admodum in lumbis gladiatoria corporis firmitas (vt Cicero nominat) bona ex parte sita est, praesertim si lumbi balteo seu cingulo firmentur: sic mentem piorum certa veritatis agnitione vult firmatam, ne per hesitationem labascet in pugna.

Induti thoracem iustitiæ] Pectus muniendum præcipit thorace iustitiæ Christi, quæ tela Satana non transmittit, sed potenter elidit.

Calceati pedibus] Mundani milites pedibus huiusmodi aptant calceamenta, quæ & pedes muniant,

et nullam afferant remoram in praelio, quin parati et expediti semper sint ad ineundem praelium. Sic homines Christianos iubet expeditos et alacres esse ad tractandum in hac spirituali lucta Evangelium patris, ex quo certiores redditi de pace et reconciliatione Dei, eo firmiorem concipiant spem de eventu non dubio, non ancipiti, sed infallibiliter bono et optato.

Super omnia assumpto scuto fidei] Sicut olim scutum iaculis hostium obiciebatur, quae veneno tincta, seu quidam ignis seuiebant in vulnere, et inflammabant corpus, ne posset sanari amplius (ideoque, hanc operam enixe dabant, ut scuti obiecta illa exciperent et protelarēt) sic in ista παρὰ πλῆρα cum primis requiritur Apostolus, ut cor hominis fide seu viua in Deum et Christum fiducia, seu impenetrabili scuto sit contextū, ut irrita cadant iacula Diaboli in exitium hominis emissā. Diabolum autem καὶ τὸ ἔξοχόν τοῦ κακοῦ seu malum vocat, tanquam mali primum autorem.

Galeamque salutis accipite, &c.] Qua caput muniatur. Ea vero est spes promissa aeternae salutis, quae animum addit in ista lucta fortiter dimicandi, quod salus in Dei verbo promissa interuerti nequeat his, qui legitimè pro ea decertarint. Et haec tenus quidem ostēdit, quib. munimētis possint esse tuti aduersus ictus et tela Diabolorū. Nunc ad ictus vicissim infligendos hostibus instruit, ut in fugam coniciantur. Ideoque, in manus quasi porrigit ancipitē gladium utrinque incidētem, verbum Dei gladium Spiritus, ut Spiritus

ius maligni illi spiritualibus armis superenter, quoru
vis nullis, alijs carnalibus machinis deici superariq;
potest. Sed præter meditationem verbi diuini preces
adiungit, quibus exoretur incomparabilis ille Θε-
ς αὐτῆς καὶ Σπᾶσπις Deus, ut nos luctantes
firmet, vacillantibus supponat manum suam, ipsemet
depellat Satanam, & ab illius tentatione clementer
nos eruat. Et quidem omni tempore vult nos orare:
siquidem & hostes nunquam non excubent & vigi-
lent in nostram perniciem. Orare autem precipit
in Spiritu & veritate, ardentem ac deuotè.

LOCVS COMMVNIS, DE MILITIA CHRISTIANA.

Monet insignis hic Apostoli textus, quàm potentes
hostes Christianorum ceruicibus immineant: Satanas
cum innumerabilibus copijs & legionibus suis. Nam
quia in baptismo solenniter ei renunciauimus, fit, ut
ὁ σαρδὸν πόλεμον aduersum nos gerat. Demones
porro & multi sunt numero, & robore prepotentes, &
indignatione in nos supra modum accensi, & in omnes
occasiones nocendi intenti, & plurimorum seculorum
experientia sic exercitati, ut qua ex parte, quibus ar-
ribus hominè adoriri expediat, exactè nouerint. Sune
etiam supra omnem modum astuti & callidi, ut ad
certam exploratamque victoriam nil quicquam eis
deesse possit, nisi ex Dei armamentario nobis ea sub-
ministrantur arma, quæ omnem mundanam vim,

Gg a

poten-

potentiamq³ longè superent, & ad spirituales astutias
 debellandas valeant. Potentiam Diabolorū descripsit
 saluator, Luc. 11. Et Paulus ad Ephes. 2. Indignationē
 Satane, quam incredibili molimine & conatu nititur
 effundere in genus humanum, Ioannes cōsiderandam
 proponit, Apocal. 12. Indefessum nocendi studium Pe-
 trus memorat, eiusq³ scriptura proponit aliquot ex-
 empla, puta in affligendo Iobe, in euertendo Achabo,
 in impediendo reditu populi Dei in patriam, Dan. 10.
 in tentando saluatore Christo, in cribrandis Aposto-
 lis, &c. Quæ omnia certè in nobis torporem immi-
 nuere, & veternum excutere debent, ne ferias agamus
 ociosi & securi, sed singulis momentis ad depugnandū
 parati simus, velut hi, qui in perpetua militia versan-
 tur. Hinc exhortatorie illæ voces Imperatoris nostri
 Christi, & Ducum Apostolorum eius: Orate, ne in-
 treis in tentationem. Qui stat, videat, ne cadat. Vigi-
 late, quoniam aduersarius vester Diabolus circumit,
 tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret. Tene
 quod habes, ne quis auferat coronam tuam. Eo plus
 autem cordi nobis sit hæc lucta, quòd hic non agitur de
 vita hac temporali, non de capite aut fortunis dimi-
 catur, sed de preciosissimo, quod in cælo & in terris no-
 minari potest, clinodio, æterna salute animarum no-
 strarum. Ergo tale nobis incumbit bellum, quòd accu-
 ratissime sit administrandum. Siquidem non qui cer-
 tat, sed qui legitime certauerit, coronabitur. Ideoq³
 accurata consideratione opus est, quo pacto nos ad id

armatos

armatos & animatos esse conueniat. Equidem non securos nos decet esse in tanto periculo. Interim vero neque nimium trepidos, sed fortes in Domino per potentiam roboris ipsius. Hic enim est solus, qui nos ungit Spiritu sancto suo ad istam luctam fortiter suscipiendam feliciterq; perficiendam. Idonea quoq; ad hanc rem nobis arma porrigit, ea verò non hominum manu fabrefacta, quæ ille immortalis hostis noster ridet, ut sub figura *Leuiathan* de illo scriptum est, *Iob. 41.* Et Spiritus cum sit, externos gladios, hastas & lanceas, pro manibus stipulis, paleis & quisquilis reputat. Multò minus fugatur ridiculis ineptis Potificiorum, aqua lustrali, sale consecrato, aut impijs superstitionibus initij *Euangelij* *Ioannis* à collo suspensi, &c. Alijs hic armis, alijs præsidij opus est. Idcirco *Diuus Paulus* de hac agens militia scribit: *In carne ambulantes, non secundum carnem militamus.* Siquidem arma militiae nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad demolitionem munitionum, quibus armis consilia demolimur, & omnem celsitudinem, quæ extollitur aduersus cognitionem Dei. Hac verò sunt, quibus & impetum *Satanæ* sustinere, & hostem ipsum adoriri ac repellere liceat: insignis ille balteus veritatis, quæ lumbos mentis animiq; nostri vult circumcinctos, ut & *Christus*, *Luc. 12.* & *Petrus 1. Epist. 1.* monet. Egregius item iustitiæ thorax, pectoris Christiani firmissimum munimentum. Solidum scutum fidei ignita *Satanæ* tela validissimè propellens & excutiens. Cuius

rursum meminit Petrus, quando Diabolo circum-
eunti iubet Christianos fide solidos resistere. Gladius
quoq; inuictus ille Verbi Dei. Verbo Dei enim (quod
Spiritus sancti vehiculum & organum est, ideoq; gla-
dius Spiritus appellatur) Christus ipse prostravit Sa-
tanam, *Matt. 4.* Deniq; preces, quas & Christus vr-
get in hac spirituali lucta: Orate, ne intretis in tenta-
tionem. Et Paulus, qui Thessalonicensibus scribens
indefinenter orare iubet. Hoc modo consistens homo
Christianus in *πρωτεύει* Dei, habebit Deum ad-
iutorem, qui non sinet tentari illū suprā vires, sed da-
bit *ἐκ γαλίου*, ut perferre & superare possit. Et si bo-
num hoc certamen rectē laudabiliterq; finierit, serua-
ta fide & bona conscientia, imponetur ei corona vita
immarcescibilis, & decernetur aternus triumphus,
quo demictis, abolitis & sub pedes contritis hostibus,
regnabit perpetuū. Sicut de electa sanctorum in cœ-
lo Ecclesia triumphante scriptum est: Hi sunt, qui
Apocal. 7. venerunt ex afflictione magna, & dilatauerunt stolas
suas, & dealbauerunt eas per sanguinem agni. Ideo
sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die & nocte in
templo eius, & qui sedet in throno, habitabit super il-
los. Non esurient, neq; sitient amplius, nec cadet super
illos Sol, neq; ullus aestus, quoniam agnus, qui in medio
throni est, reget illos, & deducet eos ad viuos fontes
aquarum, & absterfus est Deus omnē lachrimam
ab oculis eorum.

TER.

CAPVT VI.
TERTIA PARS.

471

Occasione precum in certamine aduersus Satanam
requisitarum transit Apostolus ad eandem cum pro
omnibus sanctis. tum singulatim pro se expetendas.
Ad hoc ipsum vigilantes cum omni sedulitate. &c.]
Studium & vigilantiam in precibus postulat, ut eas
non perfunctorie faciant, sed diligenter & sedulo. Non
pro salute propria duntaxat, sed etiam pro sanctis
scilicet Christianis omnibus, in primis autem, inquit
pro me. Causam, cur illorum precibus frui cupiat,
assignat hanc: ut mihi detur sermo in apertione
oris mei cum libertate, hoc est, ut libere & intre-
pide, nihil reueritus minas Satana & mundi, os me-
um aperiatur in annuncianda doctrina de Iesu Chri-
sto, & notum faciam mysterium Euangelij, na-
tura hominibus ignotum & absconditum. Super
quo legatione fungor ad genus humanum, ablega-
tus à Rege cæli & terra, Christo Iesu. Qua fungor ca-
tena vinctus ne quidem in vinculis (quibus ob pro-
fessionem Euangelij constrictus sum) desinens propa-
gare doctrinam cælestem, quin & voce viva cohorter
fratres, qui hic sunt, & per epistolas in fide Iesu Christi
confirmem Ecclesias mea & aliorum salutare opera
plantatas. Peto igitur, ut me precibus vestris inuētis,
quò libere loquar cum debita nāppōtā, qua decet me
loqui.

Vt autem sciatis & vos, quæ ad me perti-
nent. &c.] Non dubito, quin pro mea incolumitate in
his vinculis meis haud parū solliciti sitis. Quare ut de
Gg 4 rebm

rebus meis certi quid vobis constaret : Tychicum vobis mitto, fratrem charissimum & fidelem in Domino ministrum, qui certiores vos reddat, statum rerum mearum iam quidem esse tolerabilem, & sperare me indies liberationem ex vinculis, ut hinc consolationem accipiatis.

Pax fratribus, &c. [Salutationem subiungit, quam pacem phrasi hebraea precatur, hoc est, omnis generis bona corporalia & spiritualia, fratribus Christianis Ephesi doctrinam Evangelij amplexis, precatur eis etiam charitatem cum fide, tanquam duas cardinales virtutes, quibus totus penè Christianismus continetur. Et hac quidem optat eis à Deo Patre, bonorum primo fonte, & Domino Iesu Christo, instauratore salutis & pacis, charitatis & fidei.

Gratia sit, &c.] Voto consueto finit epistolam, quo optat, ut gratia seu gratuitus Dei fauor sit cum omnibus diligentibus Dominum nostrum Iesum Christum cum sinceritate, ex ardente cordis affectu, sine furore & simulatione.

LOCI COMMUNES.

Primus. Edocemur neminem esse in hoc seculo tam sanctum aut perfectum, qui non aliorum piorum precibus ad Deum opus habeat. Paulus sanctissimus Apostolus Christi, Ephesiorum precibus se per Epistolam commendat, ut & Colossenses ac Thessalonicenses ro-

gat, ut vota pro se faciant. Sic Hiskias Esaiā preces, Daniel sociorum suorum expetit. Quare qui arbitrantur, se sibi met sufficere, neg, aliorum egere precibus, hypocrite sunt. Sicut Monachi olim & Moniales suas alijs offerebant, imò pro pecunijs vendebant preces: interim nullius alterius precibus sibi opus esse censebant, utpote qui insigni sua & penè angelica (quam venditabant) sanctitate ipsi sibi abunde sufficiant. imò etiam alijs ad impetrandum cœlum & vitam æternam. Christus autem non frustra talem precandi formulam præscripsit, qua singuli Christiani singulorum necessitates includerent, ideoq; Apostolus hortatur, ut pro se inuicem orent.

Secundus. Quid principaliter sit à Deo petendum, videlicet, ut sermo Dei annuncietur liberè, & currat, & longè lateq; propagetur. Quod Coloss. 4. & 2. Thess. 3. itidem orat. Idq; Christiani omnes duabus primis petitionibus Dominica precationis à Deo contendunt indies. Hoc ipsum Christus orare iubet discipulos, ut Dominus messis fideles operarios in messem suam emittat, Matth. 9.

Tertius. De παρρησίᾳ & libertate in confessione doctrina, quam Dei donum esse, potissimum tempore persecutionum apparet. Multi enim patiuntur se à sua libertate deiçi, & os sibi obstrui minis & terroribus huius mundi. Multi deficiunt insuper & abnegant metu mortis doctrinam Euangelij. Quare nunquam non pro hac libertate & παρρησίᾳ oremus Do-

minum, ut intrepide ipsum confiteamur coram generatione hac praua & adultera, nec abnegemus eum: ne nos vicissim abneget in nouissimo die, Matth. 10.

Quartus, Ecclesius cura esse debere salutem pastorum suorum, quemadmodum Ephesii de rebus Pauli anxii tenebantur & solliciti. Sic Ecclesia primitiua de incolumitate Petri, Actor. 12. & fratres, qui Damasci erant, de Pauli salute erant anxii, ideoque sporta per murum demiserunt illum, ut insidias Iudeorum euicaret.

Locos communes, quos Pauli vincula nobis suppeditant, require in tertio capite. Quas porro doctrinas Apostoli votum gignit, eas vide capite primo huius Epistole, ex simili voto: Gratia vobis & pax à Deo Patre & Domino Iesu Christo.

SOLI DEO GLORIA

